



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Marina. V. 8. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

mine ostensurum se appromisit. Ille verò in has leges lubens latuſque migravit, fidemque mox pacti fœderis exegit. Hic PARTHENIUS potestatem sui facturus, aperto oris ostio hospitem invitavit. Nec tulit modestiam superbus, abiit potius ad veteres lares patriaque regna, inferos. Iam verò edita vaticinia, excitæ lacrimis pluvix, messis in agro sterili, nrae in deploratâ jam vineâ, redditi sedibus suis oculi, pulsi morbi, & reducti ad vitam mortui librum non pagellam in libro desiderant. Omnia tamen hæc vel oleo fecit sacro, vel aquâ, vel sale, ex quo si vel micam haberent heretici, noui equidem hæc riderent Ex Surio.

Quando moriuntur virtutes, vivunt vitia: illa militant adversus militem Christi, ista sunt Sathanæ cohortes, ista Diaboli legiones, ista sunt que Mundum sepulchris obfederunt; debellarunt populos, vastarunt gentes, orbem duxere captivum. S. Pet. Chrys. serm. 12.

S. MARINA. V. 8. Februarij.

Mulierem sub togâ, immo virum sub mulieris simulacro ostendimus. Rectè dixeris, sive MARINAM, sive MARINVM dixeris. Nam MARINÆ quidem nomen parens dedit, cum nata est, ubi verò ad Asceterium secum abduxit, cum ueste nomen viri indidit, jussitque MARINVM esse, metamorphosin cælo rideante. Patre ergo magistro Asceticen edocta, hoc mortuo, ægerrimè scilicet orco fecit; cum mulier improba tela virili ueste repelleret, & per sanctissimam larvam cæcum puerum Amorem rideret, unica virgo tot inter viros jam tutior quam inter virginum nuper choros. Nempe ubi vulneri locus non est, invidiæ est. Cum vitium virginis non posset hostis facere, fecit

fecit famæ. Puella, ad cuius parentes divertere sollebat MARINVS, cùm res cœnobij curaret , corrupta à milite parentem hunc mentitur , itaque malum ingens cœnobitis parit. Accusata virago peccasse utique se fatetur , factumque fletu uberi damnat & gemitu. Ergo extra septa sancta ejicitur , & subinde filius etiam adducitur buccâ alendus , quam mendicanti ascetæ ministrabant. Sic jam sub alterâ larvâ spectatorem orbem fallit, dum quinto abhinc anno , cùm verum etiam scelus potuisse eluere , unâ cum filio inter claustra recipitur. Mox moritur MARINVS & MARINA deprehenditur. Adebat mendax puella à malo hospite orco agitata, & scelus ultrò fatetur. Quid faceret hîc cælum , post actam bellissimè fabulam, nisi plausum? Ex Herib. Rosvveido.

Conscientia bona titulus est Religionis. Templum Salomonis. Ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca Fæderis, thesaurus regis , aula Dei, habitaculum Spiritus S. liber signatus & clausus, & in die iudicij aperiendus. S.Bern.l.de int.dom.

S. A P O L O N I A . V. M. 9. Februarij.

Necdum in flammias eruperat furor Decianus, cùm anno ab incunabulis Servatoris L. supra CC. Decio prælufit Alexandriæ nescio cuius hominis insaniam. Arrogavit ille sibi Vatis nomen, & fictis ad populum criminibus id repente excitavit incendium , quod non nisi multo Christianorum sanguine extingueretur ; quos inter facile princeps fuit APOLLONIA Virgo , quæ invalescente vulgi furore , cùm jam tota urbe eadem omnium vox audiretur , flammis addicendum , qui-

D 5

quis